



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

26. An Inquisitores possint punire tanquam Hæreticum, qui negat
propositionem Theologicam, quæ euidenter infertur ex propositione de
Fide? Ex part. 4. tract. 8. resolut. 79.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Sup. h. c. in
rel. not. seq.
signat. § 2.

§. 1. **Q**uid sit de aliis locis quoad Regna His-
paniarum, respondeo id solum ad Dominos
Inquisitores spectare, & ita docet Molina de *justitia*,
tract. 5. disput. 28. m. 13. & quia verba sunt notabilia
in favorem jurisdictionis Inquisitorum, illa per exten-
sam hic apponam. Sic itaque ait: Cum experientia
comperitur sit, multa ac gravia incommoda ex eo se-
qui quod Episcopi processus contra reos circa fidei
negotium forment, præsertim ob secretum, quod ma-
ximè refert, haberi ac servari, usu est receptum, ut
soli Inquisitores processum forment, atque contra de-
linquentes ipsi soli procedant, & ut rei Inquisitorum
iussu comprehendantur, in soloque Inquisitorum
carcere detineantur. Quod si Ordinarij aliud circa
hoc efficere aggrediantur, nec desistant, certior sit In-
quisitor Generalis, ad eosque scribit ut desistant, & ut
deinceps simile quid non efficiant, quoniam fidei ne-
gotio id non expedit, quod si non parerent (quod in-
auditum hæcenus est) Inquisitor Generalis Pontificem
certiorem efficiat, quin audio, neque ordinariis per-
mitti, ut edicta proferant, quæ ad fidei negotium
pertinent, quoniam expedit ejusmodi denunciations
fieri solis Inquisitoribus, & Commissariis ab ipsis de-
putatis, propter eandem rationem. Postquam verò
hæc ita scripti, à fide dignis accepi literas Apostolicas
esse in Hispaniis, quibus præcipitur, ut hæc Episcopi,
& alij Ordinarij Inquisitoribus relinquunt, neque
in eis se intromittant. Si quæ verò Ordinarij repe-
riant, efficere debent illis de rebus summariam in-
formationem, eamque ad Inquisitores debent trans-
mittere. Si item expediat delinquentem circa causas
fidei comprehendere ne fugiat, comprehendere il-
lum possunt Ordinarij, & transmittere ad Inquisi-
tores, aut illos certiorem facere, ut ad suum carce-
rem adducant. Hæc omnia Molina, vide supra in re-
sol. secunda.

Quæ hic est
sup. rel. 3.

RESOL. XXIV.

An Inquisitores sub pena excommunicationis possint
præcipere, ut Clerus, & populus eorum concionibus
assistant?
Et an præceptum Inquisitorum sub excommunicatione, ut
omnes confluant in Templum ad audiendum Edictum
fidei, obliget sub mortali? Ex part. 4. tractatu 8.
Resol. 89.

§. 1. **N**egativè respondet Angelus in *sum. tom. 1. ver.*
Inquisitor. n. 9. ubi sic ait: Adverte quod In-
quisitores non possunt præcipere sub obedientia, &
minus sub excommunicatione Clero & populo, ut
adeant ad eorum prædicationes, quod sæpius faciunt
dicti Inquisitores, & non valet. Ita ille.

2. Sed malè. Vnde meritò contrariam sententiam
tenet Simanca in *carhol. instit. tit. 34. n. 24.* Ioan. Rojas
de *heret. par. 2. n. 425.* ubi asserit: Inquisitores sub pœ-
na excommunicationis possint præcipere, ut populus
& Clerus sint in eorum sermonibus, quod etiam ha-
betur in *cap. vi commissi, de heret. in 6. ibi, convocan-
di etiam Clerum & populum.* & ita servari de consuetu-
dine Tribunalis testatur Repertor. Inquisitor. *ver. Præ-
dicare. n. 2.* & novissimè hanc sententiam tenet Al-
phonfus Narbona in *recopil. lib. 4. tit. 2. leg. 20. glos. 22. n. 65.*
Vnde à fortiori rectè concludit Avila de *cons. p. 2. cap. 5. disp. 2. dub. 3.* quod præceptum Inquisitorum
sub excommunicatione, ut omnes confluant in tem-
plum ad audiendum Edictum fidei, obligat sub morta-
li, quia est ad exaltationem fidei, & ut sciant homines
quæ sint denuncianda inquisitoribus.

RESOL. XXV.

An Inquisitores circa declarationem propositionum de-
beant vocare Qualificatores?
Et quid, si Inquisitores sint Theologi? Ex p. 4. tract. 8.
Resol. 84.

§. 1. **C**irca hoc ita statuitur in *instr. Tolera. anno*
1561. num. 1. [Quando los Inquisidores se
juntaren à ver las testificaciones que resultan de algu-
na visita o de otra manera, o que por otra qualquier
causa huviere regebido hallandose algunas personas
suficientemente testificadas de alguna cosa, cuyo co-
nocimiento pertenezca al S. Oficio de la Inquisicion
siendo tal, que requiera calificacion, deve de consultar
con Theologos de letras, y conciencia en quien con-
corran las calidades, que para esto se requieren, los
quales den su parecer y lo firmen de su nombre.]
Sic ibi.

2. Et ideo Ioan. Rojas de *heret. par. 1. num. 384.*
ita ait: In exponendis verbis dubiis, agnoscendis que
factis, vel Catholicis dictis, aut suspectis, vel hereti-
cis, periti factæ Theologiæ sunt vocandi, qui vulgò
Qualificadores nuncupantur, quorum assertionibus
omnimodam Inquisitores adhibent fidem, & *n. 104.*
sic asserit: Vsu & consuetudine jam diu recepta, in-
distinctè, & absolute cujusvis propositionis declaratio
ad Theologos spectat & attinet, & ab eorum assertio-
nibus in causis fidei judicandis minimè est receden-
dum, ut per prudentissimos Consiliarios supremi Con-
silij generalis Inquisitionis plenius decretum est. Hæc
Rojas.

3. Sed difficultas est, an si Inquisitores sint Theo-
logi, possint cognoscere utrum factum, vel dictum
sapiat hæresim, vel non? vel hoc tantum spectet ad
Qualificatores, negativè respondet Delmas in *disquisi-*
mag. lib. 5. sect. 15. axiom. 1. ubi sic ait: Quando autem
dubium est sine hæresim sapientia, non pertinet ad
Inquisitorem judicare, aut cognoscere, si tunc talis,
vel non. Verum hoc pertinet ad Theologos Qualifica-
tores, sed postquam constat ea sapere hæresim, dubi-
tatur tantum an sapiant manifestam, possunt Inquisi-
tores de illa qualitate cognoscere, & pronuntiare se
judices esse. Ita Delmas. Verum Seraphinus Freitas in
addit. ad tract. de Confess. lib. 9. n. 42. contrarium do-
cet, putat enim quod ad Tribunal Inquisitionis com-
petit cognitio, utrum factum, vel dictum sapiat hæ-
resim, vel non, & si iudicem Inquisitores sint etiam
Theologi, de eodem dubio possunt cognoscere, si ve-
rò sint Iurisperiti, ad Qualificatores utpote Theologos,
docet eam provinciam demandandam esse ex ipsius-
mer Senatus commissione, cum utrique ejusdem Tri-
bunalis sint ministri. Sic Freitas. Sed semper in praxi
vocantur Qualificatores, & observatur Instructio
Tolerana.

RESOL. XXVI.

An Inquisitores possint punire tanquam hæreticum, qui
negat propositionem Theologicam, quæ evidenter infer-
tur ex propositione de fide? Ex part. 4. tractatu 8.
Resol. 79.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Valentia *tom. 3. disp. 1.*
quest. 11. punct. 1. difficult. 3. Causa de locis
Theolog. *lib. 12. cap. 9.* & si attentè legatur Bonacina
de *consens. disput. 2. quest. 5. punct. 5.* & ratio est, quia
supradictus reus saltem mediata divinæ revelationi
oppoñitur.

2. At

Et Potestate Inquisitorum. Ref. XXVII. &c. 427.

2. At ego puto, dictum reum non esse hæreticum, sed præsumi, & ideo Villalobos in *summa*, tom. 1. tr. 1. diff. 10. num. 6. sic ait. [La duda es del queniéga una proposición Theologica que se infiera d'una premisa de fe y otra evidente con lumbré natural, la qual non es inmediatamente de fe como es esta. Christus est risibilis, que se infiere destas dos premisas. Omnis homo est risibilis. Christus est homo que la una es principio natural y la otra de fe, al qual respondo con el P. Corduba que en el fuero exterior se presume por herege porque no se presume que ha de errar en el principio natural.] Ita Villalobos, & ante illum Aragon. in 2. 2. *quest.* 11. art. 2. Suarez de *fide disp.* 19. *sect. ult.* num. 3. & *seq.* cum Sanchez in *summa* tom. 1. lib. 2. cap. 7. num. 33. qui cap. 8. num. 12. recte docet quod si talis reus in illa negatione perstiterit tanquam hæreticus negans principium revelatum, erit ab Inquisitoribus puniendus.

RESOL. XXVII.

An Inquisitores debeant verba dubia interpretari in sensu Catholico?

Et an hoc non solum procedat in dubio rei, sed etiam in dubio testium? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 83.

§. 1. **R**espondeo affirmativè, nisi contrarium confiteatur reus, & ideo ejus intentio & consensus circa hoc diligenter ab Inquisitoribus perquirendus est, & ita docet Albertin. de *agnoscend.* *quest.* 34. num. 48. & *seq.* Decianus in *tract. crimin.* lib. 5. cap. 37. num. 6. & 47. Io. Rojas de *heret.* part. 1. n. 200. & part. 2. num. 164. & *seq.* Menochius lib. 2. *conf.* 82. num. 10. Riminaldus lib. 4. *conf.* 686. num. 6. Pegna in *direct.* part. 3. *comment.* 1. 11. qui docet hoc etiam procedere in dubia testium depositione.

2. Ex his Rojas ubi *supra* part. 1. num. 366. asserit quod si quis dixerit, Deus non fecit mala, intelligendus est de malo culpæ, quæ est propositio Catholica, & non de malo pœnæ, quæ est propositio hæretica. Item num. 376. non damnavit quemdam de hæresi esse suspectum, qui volens Sacram Missam in quadam Ecclesia audire, cum ad eam accessisset, & Missam non invenisset, quia seorsus accessit, dixit hæc verba, Sola fides sufficit, quia non censetur dixisse solam fidem sine operibus sufficere, quod esset hæreticum.

3. Verum licet hæc omnia sint vera, non tamen procedunt quando contra reum, qui dixit aliqua verba dubia & ambigua, militaret aliqua sinistra suspicio & præsumptio, præsertim ratione qualitatæ personæ, ut, v. g. si esset de genere Iudæorum, Maurorum, vel ex aliqua provincia infestâ. Ita Rojas *loc. cit.* num. 205. qui etiam num. 375. adnotat supradicta procedere quoad plenam probationem delicti; secus autem quoad præsumptionem ut torqueatur, præsertim si est persona suspecta, nam in dubio præsumendum est pro hæresi, atque si nimis urgent indicia, talis reus torquendus erit, cum de ejus animæ salute agatur, ut in tortura confiteatur & reconcilietur. Ita Rojas, quod est valde notandum. Verum circa præsentem questionem in casu contingenti legatur omnino Navar. lib. 5. *conf.* 6. num. 6. & *seq.* de *heret.* & Simanca in *Cathol. instit.* tit. 5. 4. n. 21. & 22.

RESOL. XXVIII.

An Inquisitores possint cognoscere non solum de causa hæresis, sed etiam de omnibus connexis, & incidentibus?

Et quid de emergentibus, & dependentibus, quæ immediate hæresim non tangerent? Ex part. 4. tract. 8. Ref. 70.

§. 1. **R**espondeo affirmativè, per ea quæ adducit Aretinus *conf.* 83. quem sequitur Decian. in *tract. crim.* lib. 5. cap. 22. num. 12. hanc etiam sententiam docet Eymericus in *direct.* *Inquis.* part. 3. & ibi Pegna *comment.* 10. ubi tradit quæ in hac materia sine emergentia, dependentia & connexa, & ratio hujus sententiæ desumitur ex l. nulli, C. de *judiciis*. Nam ubi conceditur causa principalis, conceduntur consequenter connexa emergentia & incidentia ex illa. Vide Menochium de *arbitrar.* lib. 1. *quest.* 45. n. 9. & alios penes ipsum.

2. Advertit tamen Decianus ubi *supra* lib. 5. cap. 23. num. 11. quod cum Inquisitores habeant limitatam jurisdictionem, non possunt cognoscere de emergentibus, & dependentibus, quæ immediate hæresim non tangerent. Ita ille, qui citat Decium *conf.* 167. n. 56. & 15.

RESOL. XXIX

An Inquisitores in causa hæresis ex levi suspitione possint formare Inquisitionem, non præcedente diffamatione? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 4.

§. 1. **A**ffirmativè respondeo quoad Inquisitionem Sup. hoc sup. Generalem ex cap. *acensatus*, de *heret.* in 6. in tr. 9. Ref. non autem ex c. *excommunicavit*, §. *adjuvamus*, de *her.* 32. §. Sed ut bene advertit Angelus *tract. de malefic.* in ver. *hæc est*, num. 51. contra Farinacium *quest.* 9. num. 14. Vide Rolandum à Valle *conf.* 8. num. 6. lib. 1. Simancam in *Cathol. instit.* tit. 44. num. 9. Arelatanum de *heret.* notab. 26. & alios communiter.

2. Verum Iulius Clarus lib. 5. §. *finalis*, *quest.* 6. num. 7. licet teneat quod in crimine hæresis potest procedi absque eo quod præcedat diffamatio, ut dictum est, putat tamen quod ultra ipsam suspensionem adhuc requiratur querela, vel denunciatio, prout in aliis criminibus aliàs darentur nimis latæ habere Inquisitoribus. Ita ille.

3. Sed adversus hanc sententiam, & meritò, insurgit Sigismundus Scaccia de *judiciis*, lib. 1. cap. 59. num. 11. nam si esset vera, sequeretur, quod si quis committeret aliquod factum hæreticale, utpote quia combureret crucem, vel aliam imaginem alicujus Sancti, vel quid simile faceret, ob quam redderetur suspectus, & Inquisitor inquirendo generaliter eum inveniret sine denunciatione, & sine accusatione, non posset contra eum procedere, quod dicere est valde absurdum: ergo, &c. Nec obstat quod Inquisitoribus concedantur latæ habere, quia non eliguntur nisi viri graves.

4. Notandum est tamen, his non obstantibus, quod licet in crimine hæresis possit procedi contra aliquem ex levi suspitione, non solum per viam accusationis, seu denunciationis, sed etiam per viam Inquisitionis, non præcedente clamore & infamia, ut in aliis delictis, at tamen levis suspicio in tali casu dicitur per comparisonem ad vehementem, sed in se notabilis esse debet iudicis arbitrio, ut habetur in *gloss.* 1. cap. *excommunicatus* 1. §. *qui autem de heret.* juxta quod explicandi sunt Doctores afferentes in casu hæresis procedi posse contra quoscunque ex levi suspitione, ut Scaccia ubi *supra* Arelatanus de *heret.* notab. 27. Rojas de *heret.* part. 2. num. 20. & 180. cum aliis. Et hæc omnia notat & advertit optimè Freitas in *addit. ad tract. de Confess.* *soliciti*, *quest.* 5. num. 37. Si autem scire

N n 4 vis,